

**Jus serenissimae domus Durlacensis in allodia controversa ultimi  
dynastiae hohen gerolsecc. sine mascula prole defuncti ... / Ernestus  
Ulricus Krieg.**

### **Contributors**

Krieg, Ernest Ulrich.  
Linck, Jeremias Eberhard.

### **Publication/Creation**

Argentorati : Literis viduae Josiae Staedelii ..., [1721]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/g5vntrd8>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



J V S

ERENISSIMÆ  
DOMVS DVRLA-  
CENSIS

IN  
LLODIA CONTRO-  
VERSA VLTIMI DYNASTAE  
HOHEN GEROLSECC. SINE

MASCVLA PROLE DEFVNCTI,

*PRÆSIDE*

JEREMIA EBERHARDO  
LINCKIO,

Inst. Imp. Prof. Publ. Ord. & Cap.

Thomani Canonico

AD DIEM ~~23~~<sup>25</sup> MAII M DCC XXI.

PRO VIRIBVS DEFENDERE &

SOLENNI CENSVRÆ SVBMITTERE CONABITVR  
ERNESTVS VLRICVS KRIEG,

*Labranus.*

ARGENTORATI,

Literis Viduæ JOSIÆ STÆDELII, Acad. Typogr.



SERENISSIMO PRIN  
CIPICI AC DOMINO  
DOMINO  
CAROLO

MARCHIONI BADENSI  
HOCHBERGENSI, LANDGRAV  
SAUSENBERGENSI, COMITI IN SPONHEIM  
EBERSTEIN, DYNASTÆ IN ROETELN, BADENWEILER  
LAHR & MAHLBERG &c. &c.

*SACRAE CAESARAE MAJ  
STATIS GENERALI CAMPI MARESCHA  
ET CIRC. SUEV. REI TORMENTARIÆ PRÆFECTO GENERA  
ITEMQVE CAESARAE LEGIONIS PEDESTRIS  
CHILIARCHÆ &c. &c.*

PRINCIPI AC DOMINO SVO  
LONGE CLEMENTISSIMO.

HOCCE

*MONUMENTVM DEVOTISSIMÆ FIDELITATIS  
ERIGIT, SACRAT, DEDICAT,*

*SERENITATIS EJVSDEM*

*SUBJECTISSIMVS SERVVS*

ERNESTVS VLRICVS KRIEG, *Labr*





## Prooemium.

**E**Xhibeo Tibi B. L. hisce in pagellis  
Statum totius Controversiae, quam  
olim Principissa Badensis, Dn. Anna  
Maria, ut filia Jacobi Ultimi Ge-  
rolsecciorum Dynasta jam ante Instrumen-  
tum Pacis Westph. ratione allodiorum  
a Parente suo relictorum formavit.  
Hunc, ut susciperem laborem, occa-  
sio dedit Nobilissimi Domini Resp. pro-  
fectus suos publicè demonstrandi desideri-  
um in eo vel maxime commendabile, quod  
fidelis officium Civis implere atque Principis  
A 2 sui



*sui Clementissimi Jura defendere sibi propo-*  
*suerit. Verum si hac in eo est laudanda Vo-*  
*luntas, mea reprehensionem mereri videtur*  
*temeritas, quod in facto, cujus exacta notitia*  
*hactenus à nullo Juris Publici Doctore tra-*  
*ditafuit, judicium ferre non erubuerim. Anci-*  
*piti certé mente diu hinc inde agitabar. Vicit*  
*tandem indefessa, qua, Nobiliss. & Consultis-*  
*simus DN. KRIEIVS, Consiliarius Durla-*  
*censis & Archi-Grammateus Lahranus dex-*  
*terrinas, Dni. Resp. Parens optimus erga*  
**SERENISSIMUM PRINCIPEM SVVM**  
*fertur devotio, atque ejus, quod acta ad hanc*  
*causam facientia communicare velit, promissio.*  
*Cum staret pollicitis, transmisit mihi quan-*  
*dam, ita dictam, in Jure & facto bene fun-*  
*datam Deductionem, qua & jura Serenis-*  
*sima Domus eleganter exposuit & facta, qua*  
*Jus pepererunt, annexis XXXI. Documen-*  
*tis, scité corroboravit.*

*Nullus dubito, quin omnia, qua in*  
*dicta Deductione continentur facta, ipsi*  
*veritati*



veritati sint superstructa, ideò etiam in Dissertatione ipsa Veritatem Facti in allegata Deductione propositi semper suppono, ad eamq; brevitatis causa me possim refero, meliora, quin & contraria statum inaturus, si forsan, quod non crediderim, in facto erratum fuerit. Caterù nò dissimulo me præter ipsam Deductionem etiã aliquid lucis in causa hac perplexa aliunde hausisse. Evolvebam Autores, qui de hac materia dissertaverunt, sed nihil nisi generalia, si non falsa, inveniebã. Tandem felici fato & curã fidissimi Amici Acta in manus venerunt, quæ Veritatem negotii & magis illustrarunt, & confirmarunt, & novas observationes suppeditarunt. Patescet id ex Notis hinc inde subjunctis, quibus ut & toti Dissertationi Publicum faveat oro rogoque. Denique protestor sanctissimè, Dissertationem hancce, salva reverentiã, quæ Potentissimæ Domui Austriacæ tanquam Imperialis Coronæ Depositaria debetur, publicari. Neque in injuriam aut contumeliam Regiminis Austr.



*Cit. aut DNN. Expectativariorum quicquam hîc dici, sed omnia Sereniss. Domui Badensi competentis juris defendendi gratiæ proferri. Distribuetur autem hoc opusculum in 4. Capita.*

- I. Exponet Speciem facti.
- II. Proponet Rationes pro Sereniss. Domo Durl.
- III. Proponet fundamenta partis adversæ.
- IV. Respondebit ad eadem.

CAPVT I.





## CAPVT I.

*Proponens Speciem facti, pro-  
uti ex Deductione in Præfat.  
nostra allegata, & Docu-  
mentis Actisque annexis col-  
lecta est.*



**H**eobaldus Dominus de (a) Hohen  
Gerolsek & Sulz (b) Venditionis titulo  
in Serenissimum gloriosæ memoriæ  
Marchionem Badensem Dominum  
Christophorum Anno 1482. sequen-  
tia allodialia bona, *Præfecturas*  
*Seelbach, Kubach, vallem Schutte-*  
*rensem, atque dimidiam pagi Reichenbachensis partem,*  
cum omnibus juribus, Regalibus, Jurisdictionibus &  
B reditibus

(a) *ic ita dicitur ad differentiam alterius Dynastie Gerols-  
ecciana ad Vogasum in Superiori Alsatia sita.*

(b) *In quibusdam actis Frater ejus Gangolph. etiam dicitur Do-  
minus de Schenckenzell.*



reditibus eò pertinentibus, sub lege tamen retro-  
 venditionis transferebat, reseruatís argenti fodinis,  
 districtibus venationum, Sylvis & rivis pisciferis.  
 Biennium elabebatur, ex quo Philippus Comes  
 Palatinus Rheni (c) violento (d) diffidationis au-  
 xilio ex causa (e) in alleg. Deduct. non notata dicto  
 Theobaldo & Gangolfo ejus Fratri arcem Hohenge-  
 rolzeckensem, cum duabus vicinis Præfecturis, Prinz-  
 bach & Schimberg eripuit, per 20. annorum spatium  
 possessionis hujus fructu gavísus. Interea Maximiliani  
 I. mi placidissimi æquè ac sapientissimi Imperatoris pro-  
 videntia effectum est, ut contra injustitiam monstrosa-  
 rum, quibus tota infestabatur Germania, diffidationum,  
 aurea ista *Pace*, quam *profanam* appellant, Aõ. 1495.  
 saluberrimum afferretur remedium. Quippe hac æter-  
 nitati consecranda & penè divina Constitutione furia  
 violentam Juris vindicationem spirantes repressæ, &  
 arma togæ cedere jussa sunt. Qua quidem ratione  
 spoliata Gerolsecciorum Genti spes nova affulsit, ea,  
 quæ armis Palatinus tunc abstulit, autoritate  
 pacis

- (c) *Qui Baronum de Gerolseck Protector hereditarius Erbherr/  
 oder Schirmherr/ fuit virtute Documenti, quod in manus in-  
 cidit, de Aõ. 1450. quo tempore Theobaldus B. de Gerolseck  
 se Domûs Palatinæ ministerialem hereditarium constituit  
 Erbdienst/ oder Erb-Schirms-Berwandten.*
- (d) *Ex actis fide dignis detexi, non tantum Philippum Comitem  
 Palatinum Rheni & Electorem, sed & Comitem quendam  
 Henricum de Bitsch Diffidationis hujus Reum fuisse, qui deinde  
 Bona quæ eripuit in dictum Philippum venditionis titulo  
 transtulit.*
- (e) *Causa fuit, quod partim Philippus Palatinus Detentores  
 Arcis Gerolseccensis feloniam incusaverit, partim quod Comes  
 Henr. de Bitsch, Bar. de Gerolseck Gang. in annuis reeditibus*



pacis publicæ restitutum iri. Sed spes vana fuit, mansissetque talis, ni benignum pro Gerolsekiis fatum tunc temporis Electorem Palatinum famoso isti Bello Bararico (f) innodasset. Nam Maximilianus ut Justus fractæ Pacis publicæ Vindex & Palatinum Bavaria repulit, & terras Gerolsecciorum Palatino, tùm detentori, ademptas fidis Serenissimi Christophori Badensis manibus custodiendas commisit, & denique justitia causæ motus Gerolseccis bona restituere jusfit. Sancta inde Gerolseckios erga Augustissimam Domum Austriacam animavit reverentia, ut in grati animi signum terras ita redditas, Justissimo suo Recuperatori, Imperatori sc. Maximiliano in feudum, & Regalia, quæ dictis terris inhærebant, & ab Imperio fiduciario nexu dependebant, in subfeudum offerre non solum cogitarent, sed & cum ipso Imperatore negotium seriò tractarent. Res penè confecta & ad Reversalium mutuam traditionem jam perventum erat, sed exitum optatum non habuit, donec Anno 1526. Gangolphus Oeniponti devotionis suæ desiderium renovavit, mentemque suam Confiliariis aulicis præsens aperuit; Communicatur illud Regi Ferdinando, qui Jacobo Baroni de Moersperg & Belfort, tunc temporis Præfecto Provinciali Austriaco, ut negotii hujus curam habeat, atque illud regali nomine cum Gerolseccis perficiat, injungit. Hic Gangolphum & Walterum fratres Gerolseckios de mandati Regii tenore certiores reddit, qui beneficii ab Austriaca Domo

B 2

accepti

---

*ex solvendis moram commisisse redarguerit, quorum nomine terras Baronatus sui obligavit, ita ut in casum moræ licentiam Comiti attribuerit privata autoritate easdem occupandi.*

(f) Philippus enim &c. Ruperti filii sui & Generi Georgii



accepti generosè memores, eodem anno bona sua in feudum Austriacum offerunt, *Arcem* sc. Geroldseccensem cum duabus Præfecturis, Prinzbacensi & Schirmbergensi cum omnibus juribus, prouti ex *Palatini manibus* ad se reversæ sunt, ea tamen lege, ut extinctis agnatis ad filias (g) aliquando pervenirent, quibus & posteris earum demum deficientibus dicta Arx Geroldseckia cum præmemoratis Præfecturis duabus jure caduci ut feudum Domui Austriacæ apertum cum Dominio ejus directo consolidari deberet. Non placuit Regi Ferdinando conditio præscripta: Res tamen octavo post anno tandem ad finem perducta, sc. Anno 1534. die 18. Decembris. Pactum enim oblationis Regio Ferdinandi & Fratrum Gerolsecciorum sigillo & scriptura munitum publicè prostat, sequenti maxime tenore conceptum: Fratres sc. prædicti Arcem & Dynastiam Gerolseccensem cum duabus dictis Præfecturis expresse nominatis cum vallibus, pagis, vicis, prædiis, sylvis, aquis piscinis, fossis, Superiore & Inferiore Jurisdictione, Regalibus, juribus &c. eo modo, quo Majores ante hæc, postea vero Philippus Palatinus, hæctenus Imperator Maximilianus, deinde *Marchio* Badensis Christophorus & jam ipsi tenuerunt, quæque ut allodialia ad dictam Dynastiam pertinent, nec antea ut feuda Imperii agnita fuerant, item ea, quæ jam ab Imperio ut feuda re-

cogno-

---

*Divitis ultimi ex linea Landshutiana Ducis jus in terras Bavar. ex testamento Soceri competens bello vindicatum ivit. Sed sinistro, ut notum est, fato.*

(g) *Hæc forsàn causa fuit, quod Viri summi nominis B. M. Dn. VLRICVS OBRECHTVS in Not. sc. ad Instrum. Pac. Westphal. & DN. HENNINGES in Meditat. ad*



cognoscunt, in *feudum masculinum* offerant, & secundum communia feudi jura nomine eorum per Fratrem Seniores investituram petant & accipiant, ita tamen ut Rex Ferdinandus ab Imperatore & Electoribus absolutionem à nexu, quo Imperio colligantur, impetrare necesse habeat. (h)

Nondum autem hoc, quo Oblationis Pactum concludebatur, tempore Bona Anno 1482. vendita (sc. dimidia pars, Pagi Reichenbachensis, Seelbach, Kubach, Schutterthal, cum omnibus juribus & appertinentiis) in Familiam Gerolsecciam redierant, utpote quæ tunc in Dominio Badensium adhuc existebant. Sed demum quinto post oblationis pactum anno, refuso pretio, secundum facultatem ex Conventione competentem retrò empta & vendita sunt. Neque minus eo tempore *recuperarunt* Gerolseckii Arcem NeuenDautensteinensem, utpote quæ demum Anno 1584. à Jo. Wernero Pleiffen tam quoad Dominium (i) quam Jurisdictionem emta & Domui acquisita. Prima Investitura (*Vid. Fasc. der Beylagen Dicta Deduct. No. VI. pag. 12.*) concedebatur die 19. Maji Anno 1544. in qua expressis verbis Investiens Rex Ferdinandus supra

B 3

nomina-

dictum J. P. *Baronatum Gerolseckium* feudum foemininum fuisse asseruerint. Quod certe non statuissent si tenor Pacti Oblationis & primæ Investituræ illis communicatus fuisset.

(h) *Pactum Oblat. habetur in dicta Ded. Fascic. der Beylagen No. 4. pag. 5.*

(i) *Quoad Dominium utile sc. Dominium directum enim ad B. de Gerolseck, pertinuit. Primus Vasallus fuit Sigfrid Pleuff. An. 1514. Feudum fuit foemininum.*



nominatum Oblationis Pactum, tanquam totius negotii fundamentum ponit, atque Arcis & Dynastiæ Hohen-Gerolseccensis, ut & duarum Præfecturarum Brunnspach & Schimberg mentionem facit. Interea quietam Dynastiæ suæ possessionem Gerolseckiis per seculum ferè nemo invadebat. Accidit tamen ut sub prima Seculi præcedentis tempora in has terras Bellicæ Laudes (k) Illustri Adamo Philippo Comiti de Cronenburg expectativam meruerint. Nec spes lenta fuit; Vigor enim Gerolseccensis Familiæ duravit tantum usque ad annum 1634. qui Jacobo ultimo Vasallo & simul toti stirpi masculæ emortualis fuit. Reliquit tamen filiam Annam Mariam, (*vid. Deduct. p. 11.*) primum Frid. Comiti Solmensi, deinde vero Serenissimo Marchioni Friderico Seniori, tertium viduo, & Clementissimi Domini & Principis hod. Proavo nuptam, quæ per mortem Parentis non quidem in feuda, sed tamen allodia succedere jus est nacta. Itaque Comitissa Solmensis, ut Filia ultimi Vasalli, in possessione bonorum relictorum manere se posse rata est, donec liquidatio & separatio bonorum feudalium & allodialium esset facta. Verum hujus justæ opinionis circulos Regimen Austriacum citerius & Comitis Cronenburgii Filius, Dn. Crafft Adolph Otto, vel potius Ejus Tutor, qua potuit, machinatione turbavit. Illud enim, uti *Deductio* habet, neglecta omni Citatione aut Denunciatione Comitissæ facta omnium promiscuè Ultimi Defuncti bonorum tam allodialium quàm feudalium ad Dynastiam Gerolseccensem pertinentium possessionem sub obtentu Domini directi nomine

(k) Forsan etiam multum hinc contribuit Debitum <sup>40</sup> florenorum cujus nomine Regimen Austriacum Citerius redditus annuos Comiti Cronenb. exsolvebat.



nomine Domus Austriacæ jure caduci arripuit, eum in finem homagio à subditis exacto. Cronenburgus autem jus Expectativæ generale in omnes Dynastiæ terras & pertinentias sibi latissimè concessum prætexens, facile à Regimine (1) Commissarios impetravit, qui se in possessionem immitterent, Comitissæ tamen jura prætenfa examinarent. Verum res tardiore indagine & secundum ipsum Instrum. Pacis biennii termino digna trium vel quatuor dierum spatio includebatur. (*Vid. Ded. p. 3. & 4.*) Commissarii enim in literis suis die 15. Sept. Comitissæ eodem anno transmissis, eidem significaverant, se constitutos esse ad Cronenburgum in Possessionem immittendum, habere se tamen in mandatis, ut quid circa separationem ab allodio & Liquidationem fructuum post mortem ultimi Vasalli perceptorum judicandum sit, in omnem eventum discutiant. Se itaque libero Comitissæ arbitrio relinquere, velit ne illa ipsa, an vero per mandatarium sat in causa instructum die 18. aut 20. dicti mensis Septembris coram iisdem comparere, Literas accipit Comitissa Argentorati die 27. tempore meridiano. Vix ergo biduum ei super erat, in qua certe temporis angustia non dicam ablegare sed instruere in tam gravi negotio quemquam vix potuit. Comparuit tamen per ablegatum, quem maxima mentis subiit admiratio, nec ipsos Commissarios termini præscripti ultimum expectasse momentum; Nam ante lapsum 29. Septembr. dicti anni Comiti Cronenburgio plenam horum tam allodialium quàm feudaliū bonorum possessionem tradiderunt, & postea in termino comparentem Comitissæ Deputatum solita clausula, ut ajunt, salvatoria, quod nempe Immissio hæc

(1) *Quod ante à die 14. Febr. 1635. Archi Ducissæ Claudiæ hanc immissionem suasit, ut quam citissime ab exsolutione reddituum annuorum liberetur.*



hæc salvo ejus jure facta sit, solati sunt. Hac igitur possessionis ablatione Comitissam fructu alio possessionis, quæ alias ab onere probationis liberat, privatam se querebatur Comitissa. (m) Verum quamvis injustè sibi onus probandi imponi opinaretur Comitissa, quæ interea Marchionis Badensis Friderici Senioris Conjux facta erat, tandem coram Commissariis hic Argentorati Anno 1648. Mense Aprilis consensit, ut sequentia verba Instrumento Pacis Westphalicæ, quæ furorem belli tricennalis compescuit, insererentur. Ita enim in Articulo quarto §. 27. Instrum. Cæs. Suecici legitur:

*De Baronatu Hohen Gerolseck conventum est, ut, si Domina Principissa Badensis prætensa sua jura in dicto Baronatu documentis authenticis sufficienter probaverit, Restitutio statim postlatam desuper sententiam fiat cum omni causa, omnique Jure vigore Documentorum competenti, Cognitio autem hæc fiat, a die publicatæ pacis infra biennium.*

Vigore ergo hujus Articuli Domina Principissa Badensis ex conventionem sua obligabatur (1.) ad probanda sua jura prætensa in Baronatu Gerolseck documentis authenticis. (2.) Promittebatur Restitutio statim postlatam desuper sententiam. Et (3.) Terminus Biennii Judici præscribebatur ad ferendam sententiam, ne Principissa diutius Jure suo carere cogeretur. Paruere Principissa vel potius ejus Hæredes (Nam interea Principissa ex luce abiens (sc. 1649. 25. Maji) Serenissimum suum Conjugem heredem in testamento scripsit, quod basin & fundamentum prætensionis Durlacensis unicum constituit) Legi hujus conventionis & Anno 1649. in Conventu Norimbergensi Pacis Executionem respiciente,

(m) Forsan etiam Comitissa sinistrum fatum suum debuit defuncto Marito, qui Friderico Palatino contra Domum Austriacam in turbis Bohem. ad hæserat.



ente, eodem anno & sequenti in Conventibus Circularibus Suevicis & tandem Anno 1667. coram Commissariis Cæsareis Friburgi congregatis Documenta sua avthentica produxerunt. Sed nescio, quo artificio potius quam fato effectum, ut Causæ hujus Decisio ultra plurima biennia fuerit dilata. Regimen Austriacum Citerius jussum erat amicam tentare inter partes compositionem, ad quam etiam ex parte Badensium semper inclinabatur. Verum Cronenbergius moras nectendo, tergiversando atque multis circumductionibus causam implicando, litem immortalitati mancipare studebat. Quæ quidem moræ diuturnitas Cæsaris animum vehementer commovit, ita quidem, ut Regimini suo Citeriori Austriaco & Comiti Cronenbergio Anno 1668. die 3. Febr. maturationem amicæ compositionis severe præceperit. Sed cum frustra omnia tentarentur, causa tandem ad forum competens remissa & in Judicium Aulicum introducta, (*die 22. Novembr. 1669.*) est, actis hætenus & probatis in forma probante dicto supremo Tribunali legitime insinuatis; cui etiam paulò post solennis protestatio ex parte Durlacensium intimabatur, cum Elector Trevirensis ex Familia L. Baronum (nunc Comitum) de Layen oriundus, pro se & suis agnatis Expectativam & Investituram abusivam ratione Baron. Gerolseck obtinuisset. Quis vero crederet litem hanc ob innumeras adversæ partis technas usque ad mortem Cronenbergii sine masculo vita functi, i. e. usque ad annum 1692. indecisam permanisse. Solutus hac morte Nodus Gordius videbatur; Itaque Se-



renissimus Dn. Fridericus Magnus vacuum per aliquot  
 Menses possessionem bonorum allodialium, quæ tam diu  
 in lite versantur, nec vi nec clam, nec precario, sed pu-  
 blice & nemine contradicente die 15 Junii dicti anni apprehendit, factumque apprehensæ possessionis ad Casareæ  
 Majestatis notitiam devotissimis in literis transcripsit.  
 Quæ proinde privata autoritate Principis Frid. facta occupa-  
 tio eum sortita est effectum, ut ipse Imperator in duo-  
 bus ad Serenissimum Marchionem Rescriptis eum ut Posses-  
 sorem harum terrarum agnoverit, restitutionem bonorum  
 quorundam in dictis terris sitorum & ad adversarios Cro-  
 nenbergij pertinentium eidem serio injungens. Verum vir-  
 tute Novæ, de qua antea sermo injectus, Expectativæ, Do-  
 minus Carolus Caspar L. B. nunc Comes de Layen, ter-  
 ras a Badensi occupatas, sub eodem, quo Cronenber-  
 gius prætextu, vindicatum ibat, seq; possessionem totius  
 Dynastiæ veram die 3 Julii 1692. arripuisse proinde im-  
 probe se dejectum & causabatur & querebatur; qui tan-  
 dem, à Cancellaria Aulica Austriaca Ao. 1695. *Rescri-  
 ptum Commissionis*, uti vocant, *Immissoriale*, respectu ho-  
 rum *allodialium* obtinuit, contra quod Serenissima  
 Domus Badensis, quod nec citata, nec audita, pro inde  
 omnis causæ cognitio impedita fuerit, querelas  
 fudit, vitium vel sub vel obreptionis dicto rescripto con-  
 tigisse ad conservandum Judicis honorem lubenter sibi  
 persuadens. Unde se in possessione contra Commissa-  
 rios vel male informatos, vel non competentes Judices  
 eorumque viam facti tentatam tueri non est verita, simul  
 his a Judicio Aulico petiit, velit Cancellariæ Aulicæ Au-  
 striacæ



striacæ sequentia mandare : petere sc. Domum, ut in  
 possessione defendatur ut Dn. Baro de Lay  
 ad forum competens, cujus Jctio jam ab anno 1669.  
 fundata est, remittatur, atque ad *videndum separari al-*  
*lodium a feudo* mediante citatione adstringatur. Non  
 caruit effectu hæc tam justa petitio ; Judicium namque  
 Aulicum Anno 1697. die 1. Febr. Decretum fieri in amici-  
 tia Cancellariæ Aulicæ Austriacæ transmittendum jussit,  
 quo significaretur, Domino de Layen petitum Badense  
 sub termino duorum mensium communicatum esse, quo  
 porro à dicta Cancellaria amice efflagitaretur, ne ad  
 instantiam dicti Baronis, nunc Comitis de Layen, donec  
 causa ulterius discussa sit, amplius procedatur. Hoc  
 tamen non impediit, quo minus Regimen Oenipontanum  
 Sereniss. Domui Durlacensi die 8. Febr. dicti anni, gravis-  
 simis & expulsionem, ni sponte cedat, minantibus  
 verbis derelictionem Possessionis imperaverit. Nec mi-  
 næ sine fructu fuere. Nam cum Domus Serenissima Pos-  
 sessioni suæ tenaciter inhareret, eidem per Baronem de  
 Neveu die 6. Aprilis dicti anni armato trecentorum mili-  
 tum auxilio litigiosorum bonorum possessio erepta est,  
 insignia Domus refixa, arx Dautensteinensis effracta  
 subditi quot haberi potuerunt, ad homagium adacti, à  
 jurata erga dejectum possessorem obedientia absoluti, mi-  
 nistri expulsi, novique substituti sunt. Non potuit non  
 Serenissima Domus contra insolitum, ut quidem sibi vi-  
 debatur, exequendi morem justissimas coram Augustis-  
 simo Judice suo fundere querelas, atque contra hanc  
 quam opinabatur sine autoritate factam ejectionem auxi-



lium Restitutionis in integrum exposcere. Cui acces-  
 sit contra novum hoc exemplum Executionis Protestatio  
 Convocantium Principum Circuli Suevici; Repræ-  
 sentabant enim Reverendiss. Dn. Marqu. Rud. Episc.  
 Constant. & Sereniss. Eberh. Lud. Dux VVürtem-  
 bergensis, hoc quicquid est acti, honori atque juribus suis  
 Constitutionibus Imperii, Observantiæ, deniq; & Instru-  
 mento P. W. e diametro contrariū esse, ea propter se opem  
 Imperatoriam implorare, in hoc autem negotio sese vel  
 amicos Compositores, vel donec lis sub iudice pendebit,  
 sese sequestros offerre. Verum res nondum ad liqui-  
 dum deduci potuit. Eam tamen in Augustissimum  
 Cæsarem hod. collocat fiduciam Serenissimus Marchio  
 Durlacensis hodiernus, fore, ut quo reverentior hucusque  
 tantæ Majestatis fuit, eo propius quoque ex sydereo  
 ejus Justitiæ Throno & Æquitatis  
 Cœlo sit

*Affulsura sibi, quæ nunc sperabitur hora.*



CAPVT



CAPVT II.

*Proponens Jus Serenissimæ  
Domus Durlacensis in ter-  
ras allodiales Baronatus  
Hoben-Gerolseck.*

**E**X facto didicimus Ultimi Vasalli & Baronis Gerol-  
seccii Filiam fuisse Annam Mariam, primum Frid.  
Comiti Solmensi, deinde Serenissimo gloriosæ  
memoriæ Marchioni Domino Friderico Seniori;  
nuptam, eandemque Celsissimum Maritum suum in  
omnibus suis bonis & Juribus heredem universalem  
scripsisse; Quo ipso primo statim intuitu Jus Serenissi-  
mæ Domus Durlacensis, in testamento Filix ultimi Va-  
falli fundatum esse unice cernitur, Intelleximus etiam  
dictam Principissam jure hereditatis ab intestato Parenti  
suo successuram terrarum allodialium in Facto recensita-  
rum possessione privatam esse, Cronenb. Comite vi-  
gore Expectativæ ob literarum generalitatem in pos-  
sessionem misso. Ut autem ordine, qui alias in Judi-  
ciis observari solet, procedamus, perlustrabimus pri-  
mò *Possessorium* Principissæ Badensis, *petitorio* ad se-  
quentes paginas remisso. Cum vero & ante & post  
Instrumentum Westphalicæ Pacis circumstantiæ super-  
venientes



venientes causam alteraverint, primo de Jure ante Instrumentum Pacis Westphalicæ, deinde de Jure post Instrumentum. P. competente agemus.

Mors ultimi Vasalli *Jacobi* incidit in annum 1634. tempus, indubiè Pacem Westphalicam præcedens. Quæritur itaque

*An tunc Comitissa Solmensis, postea Principissa Badensis petere jure potuerit, ut in possessione bonorum à Defuncto Patre relictorum manuteneretur, donec Separatio allodii a feudo facta fuisset?*

Quod quidem, jure optimo prætere Principissa poterat. Licet enim Gerolseccii omnia sua bona ante 100. annos in feudum obtulerint, per tantum temporis spatium, per varios casus, per tot discrimina rerum, per tot matrimonia &c. facile contingere potuit, uti etiam revera contigit, ut Gerolseccii bonis suis feudalibus terras adjicerent proprias & liberas. Hinc naturalis ratio suadet, non esse filiam, quæ in feudis succedere regulariter nequit, statim possessione expellendam, antequam de allodio, in quod succedere capax est, secura reddatur. Hinc 2. Leges Civiles eum, qui nec vi, nec clam nec precario ab adversario possessionem tenet, defendunt, donec lis de proprietate terminetur. Principissa ergo Badensis, quæ, non ab adversario, non vi, non clam, non precario, sed justissimo hæreditatis titulo possessionem à Patre in se derivavit, quæ insuper allodium feudo permixtum esse asseveravit, *Inerdicti uti possidetis* fructu merito gaudere debuit. Et cum onus probationis sæpe difficillimum sit, Possessio autem vicaria probationis vice tam potenter fungatur, ut Possessor se Dominum, vel allo-



allodiale prædium esse dicens, ab onere probandi releve-  
tur, Principissa hoc fructu possessionis exuenda non fuis-  
set. Hinc Brocardica nata: *Possessor præsumitur Dominus*; *Omnia potius allodialia præsumi quam feudalia*; Maximum  
vero pondus adjicit (3.) autoritate sua jus nostrum feud.  
Longob. Ita enim 2. feud. 26. §. I. disponitur.

*Inter filiam defuncti & agnatos ejus de quodam  
prædio mota est questio, agnatis feudum, filia vero  
allodium sive libellarium esse asserentibus, super  
possessione apud quem manere debeat quærebatur.  
Responsum est, apud filiam possessionem interim  
collocandam esse.*

Et hæc eo magis vera sunt, quo certius, filiam, etiam si  
non sit in possessione, remedio tamen adipiscendæ possess.  
scilicet si heres ab intestato sit, *Interdicto quorum bonorum*,  
aut si heres in Testamento Patris scripta *Remedio L. F. C.*  
*de edicto Divi Hadr. tollendo*, uti posse. Quamobrem Cam.  
Imp. in ardua causa sc. *Virmund contra Virmund* aperte simi-  
liter decidit. Filia enim remedio adipiscendæ possessio-  
nis etiam in feuda, non obstante agnatorum contradic-  
tione nominatim immissa fuit, reservato agnatis petitorio.  
Sententia Anno 1575. pronunciata est & contra eam resti-  
tutio petitæ, sed denegata; Petita etiam revisio, sed ni-  
hil profuit. *Rosenthal. Cap. 7. Conclus. 48. No. 2.* Nec  
obstat, feudum esse finitum in nostro Casu, adeoque ad  
Dominum reversum, Casum autem, de quo Camera  
judicavit, esse diversum, & contentionem tantum fuisse  
inter filias & agnatos defuncti. Non enim video differen-  
tiæ rationem. Certe, quo jure se filia defendit in possessio-  
rio



rio contra agnatos, eodem etiam se tuetur contra Dominum vel Expectativarium. Filia enim hic in possessione fuit, heres fuit, nec vi, nec clam, nec precario à Domino seu Expectativario possedit, dixit bona allodialia permixta esse feudis, bona autem magis allodialia præsumuntur, quam feudalia, ergo tamdiù defendenda erat in possessione, donec Separatio allodii à feudo ad liquidum perducta fuisset. *Conf. Alciatus Conf. 3. n. 5. & 6. volum. 3. & Albert. Brun. Conf. 1. n. 6.* Sed quid opus est multo ratiocinio. Consulamus eundem, quem antea produximus, Juris Feudalis textum. Is enim Jus Possessorii Principissæ competens clarissimè sequentibus adjudicat verbis:

*Defuncto milite inter Dominum & filiam illius, super quodam feudo quærebatur. Domino feudum, filia allodium s. libellarium esse allegante, Respondi, Filiam in possessione feudi manere debere, donec de eo judicetur.*

Quid hac decisione significantius esse potest? Defunctus est in nostro Casu Miles seu Vasallus ultimus B. Jacobus. Quæritur inter Dominum sc. Dom. Austr. & filiam illius *Annam Mariam super feudo.* Dominus dicit esse feudum terras controversas, filia *Anna Maria* allodium esse allegat. Cur ergo Judices non responderint filiam, *Annam Mariam*, in possessione feudi manere debere, donec de eo judicetur, ipsi viderint.

Interea Regimen Austriacum citerius, filiam ordine Juris inverso possessione sub prætextu caduci nomine Austr. Archi-Duc. D. tanquam Domini directi exiit atque eandem in Expectativarium, Com. Cronenb. transtulit hoc ipso a. necessitatem probationis Comitissæ



mitissæ, pro qua plena in omni Jure militabat immunitas, contra Jus injunxit. Quæritur itaque porro,

- I. An Jure Dominus Directus hoc in Casu filiam possessione exuerit?
- II. Quale Remedium ejectæ competiisset ad recuperandam possessionem.

Primam Quæstionem negandam esse puto, partim quia, ut bene in Deduct. annotatum est, nemini, ne quidem injusto possessori sua possessio & ne quidem autoritate Rescripti Princ. aut Judicis absque cognitione causæ auferenda, imò etiam prædo in sua possessione tuendus sit.

*Cap. in Literis X. de Restit. Spoliat l. f. C. de R. V.*

Ergo multò minùs, cum possessoris possessio adjuncta est titulo legitimo, uti hîc est justissimus hereditatis. *Gail. O. 147. n. 2.* Partim etiam, quia nemo sibi ipsi jus dicere potest. *l. un. C. ne quis in propr.* Est autem hic contentio inter filiam defuncti, quæ allodiam qualitatem asserit & Dominum directum, qui eandem negat. Hic certe Judex esse non potest in propria causa ita, ut sua Sententia declarari queat, quid sit allodium, quidque sit feudum, cum, si talis valeret Ordo procedendi, quilibet Domini directi post extinctam familiam omnia Vasalli ultimi bona in possessorio sibi adjudicare & hac ratione se ab onere probandi liberare possent. Annuente autem Augustissimo Imperatore tunc temporis Archi Duce & Cap. fam. factum hoc esse nec statui nec credi potest. (\*) Proinde Commissarii Austriaci sine competentia, sine Autoritate Summi Principis, & sine lege processerunt, ex quo statim propullulat decisio *Secunda Quæstionis, quale scilicet Remedium dejectæ competierit?* Cum enim Judex nulliter procedens pro privato habeatur, remedio recuperandæ possessionis vel *Interdicto unde vi* vel *Remedio*

D

Can.

(\*) *Nam in actis supra laudatis inveni, non Ferdinandum II. sed CLAUDIAM Leopoldi V. Tirolensis (qui etiam Episcopus Argentoratensis & Passaviensis fuit) Vidnam Decretum hoc Immissoriale transmisisse.*



*Can. Redintegranda* Principissa juvari potuisset. Congrua est hæc Sententia non tantum legibus ipsis, non tantum naturali rationi, sed & Praxi Camerae Imperiali. Ex viro enim fide digno se audivisse refert, *ROSEN-THAL. c. l. n. 3. lit. c.* ibidem contra Dominum quendam feudi, filiabus invitis possessionem vacantem post mortem ultimi Vasalli ingressum pronunciatum fuisse. Qui Casus ejus cum nostro est similitud. ut ovum ovo similius esse non possit. Factum enim à Judice, quod ad officium ejus non pertinet ratum non est. *l. 170. ff. de R. I. & c. 16. de R. I. in 6.*

Verum belli tunc furentis tumultus justissima hæc possessionis recuperandæ remedia vel abstulerunt vel retardarunt. Interea temporis Comitissa, uti jam crebris est annotatum sermonibus, matrimonium cum Serenissimo Principe Durlacensi inivit, & coram Commissariis hinc Argentorati congregatis confisa bonitati causæ omni favori & remediis ex possessione sibi competentibus renunciat, tandem consentiens, ut res in petitorio tractetur. Proinde induci se passa est ad jus suum perauthentica documenta probandum, in cujus rei majorem fidem Instrumento Pacis Westphalicæ Articulus supra recensitus, conspicitur insertus.

Omne jam auxilium ex Possessione veniens Instrumento pacis absorptum in hac causa crederes, & quidem, si Principissam cum Cronenburgio paciscentem spectes, non planè erraveris. *Inter litigatores enim, quoties est proprietatis controversia aut convenit inter litigatores, uter Possessor sit, uter petitor, aut non convenit. SI CONVENIT ABSOLUTUM EST: Ille possessoris commodo, quem CONVENIT, possidere: ille petitoris onere fungetur. l. 1. §. 3. ff. Vti possideris.* Pro Serenissima tamen Domo Durlacensi novum mox scaturire videbis veteris & novæ Possessionis fontem. Principissa sc. Badensis immortalitati vicina Serenissimum Conjugem suum heredem ex asse instituit, qui etiam dispo-



dispositioni Pacis Westphalicæ satisfactorius, jus defunctæ documentis authenticis probare perrexit Verum uti constat, Res usque ad mortem Domini Krafft Ottonis filij Cronenbergii sine mascula prole Anno 1692. extincti exitum non habuit. Vacant post novam hanc catastrophem bona quæ in lite versabantur per aliquot menses, vacantem possessionem Serenissimus Marchio Dn. Fridericus Magnus apprehendit, in possessione se contra novum Expectativarium Dn. B. de L. defendit, sed armata manu à Regimine Austriaco Citeriori ad petitum Expectativarii ejicitur. Quæritur ergo

- I. An vacantem possessionem sine vitio ingressus fuerit Serenissimus Marchio Fridericus Magnus?
- II. An à Regimine Austriaco rectè ejectus & quale remedium ei competat?

Quod vacantem possessionem die 15. Junii 1692. & quidem ante Dn. B. de Layen, (qui in quodam ita dicto Memoriali ad Conv. circularem pro obtinenda Sessione & Voto se 19. Julij d. a. possessionem ingressum esse asseruit. *Vid. Deduct. pag. 16.*) Serenissimus Marchio apprehenderit, probatur ex Literis ad S. Cæsaream Majestatem datis, cui hæc apprehensio possessionis eo statim tempore notificata fuit, *Vid. Deduct. p. 15.* Adjiciebantur seqq. potissimum rationes ad justitiam hujus facti fundandam.

*I. Quod permissum sit cuilibet Successori post obitum ejus, cui succedere intendit, etiam cum alius timetur, prius invadere possessionem & ita eam adipisci, atque tum petere, ut in ea conservetur & adversario inhibeatur, ne ipsum molestia afficiat, Menoch. Remed. Recup. 6. n. 12. & 33.*



Et quod titulum aliquem (uti hic erat justissimus Hereditatis) habens, possit vacantem possessionem ingredi, & se legitimum præ alio possessionem quærente constituere contradictorem, *Menoch. de Remed. Ord. poss. 4. n. 183. Wesenbec. p. 4. Const. 195. n. 34.*

Et quidem optime. Nam hic obtinere debuisset illud; Qui potior tempore, potior jure: *omnis enim Possessor eo ipso quo Possessor est, plus juris habet, quam is, qui non possidet*, & qui hunc in modum possessionem intrat, & nec vi, nec clam, nec precario, ab adversario possidet, is vitiosus possessor reputari nequit. *Vid. leg. 2. ff. Vti possidetis.* Imò in hoc Interdicto nil refert justa an injusta possessio adversus cæteros sit *d. l. 2.* Non enim vi ingressus est possessionem sed placidè, nemine contradicente, non clam, sed publicè, (*Vid. in Fasc. der Beylagen No. XXII. Notarii Kryzans Attestatum wegen der disseitigen Possessions-Ergreifung ledig gefundener Possession*) & apprehensione possessionis Cæsareæ Majestati notificata. *Non precario*, quia privata autoritate vacantem occupavit.

II. Ex parte Serenissimi afferebatur, quod post mortem ultimi Vasalli Gerolseccii nullus tam bonam, tam firmam & tam probè, ut ita dicam, titulatum possessionem habuerit. Possessionem enim Cronenburgii, ni transactum esset, obstitisset (1) vitium violentiæ, cum ultimi Defuncti Filia ab incompetente Judice fuerit dejecta, (2) Cronenburg. ab adversario sine titulo possessionem est adeptus.

III. Afferebatur Dispositionem Instrum. Pacis morte Comitum Cronenburgii, ut Conventionem inter partes



partes, qua possessio sponte Cronenburgio relicta, expirasse, adeoque rem ad pristinum statum cum omnibus pro Serenissima Principe olim militantibus rediisse præsumtionibus. Cui quidem Sententiæ ex ea ratione adstipulari cogor, quia uti res inter alios acta, tertio non præjudicat, ita nec hic tertio singulare commodum acquirit. Et suo juri renunciando in favorem Titii non renunciat in favorem Caji, qui tempore renunciationis plane absens, aut actorum ignorans, aut in rerum natura non fuit. Renunciationes enim strictissimi juris sunt, & rationes poterant esse, quæ induxerant Principissam ad renunciandum commodum possessionis in favorem Cronenburgii, quæ eam non induxissent in favorem planè Novi Expectativarii, de quo nec cogitavit, nec cogitare potuit. Reviviscunt ergo hoc in casu pristina possessionis commoda, atque sic *Mors Cronenburgii est Resuscitatio jurium per renunciationem amissorum*. Habebat ergo S. M. haud dubiè jus se defendendi in possessorio tam novo, quam veteri.

His præmissis, facile jam via sternitur ad decisionem quæstionis secundæ, an à *Regimine Austriaco rectè ejectus sit, & quale remedium ei competat*. Ubi ante omnia rursus quærendum, (1.) an Serenissimus Marchio auditus, an 2.) à Competente Judice condemnatus ad possessionem relinquendam, & an (3.) à Competente Judice executio facta sit? Negat *primum* Serenissimus Marchio, negat se esse citatum, negat ullam causæ cognitionem esse institutam. *Secundum* refutat ipsum Imp. Judicium aulicum, coram quo lis jam Anno 1669. pendere cœpit, & quorsum per 60. fere annos tam Cronenburgius quam Successor citatus est. Refutat id ipsa Judicii aulici confessio, quod sequens Decre-



tum in Amicitia oder in Freundschaft Aulicæ Cancellariæ Austriacæ insinuavit.

*Die Veneris 1. Febr. 1697.*

Fiat Decretum in Freundschaft an die löbl. Desterreichische Hoff-Canzley cum inclusione exhibitorum, woraus dieselbe ersehen werden / wie schon hiebevör diese Sache beyhm Reichs-Hoff-Rath angebracht und in specie 1669. eine Citation ad videndum separari allodialia à feudali- bus erkannt worden / wie auch die beygelegte Reichs und Desterr. Lehen-Brieff mit sich bringen was eigentlich Lehn oder Eigenthumb sene / als habe Reichs-Hoff-Rath das Baden Durlachische Anbringen dem von der Leyen sub termino duorum mensium communicirt und werde dahero die löbl. Desterreichische Hoff-Canzley in Freundschaft ersucht / biß zu fernerer der Sachen Untersuchung auf Anruffen deß von der Lay nichts zu verordnen.

Refutat porro ejus competentiam Designatio Restituendorum in tribus terminis autoritate publica Anno 1650. Noribergæ scripta. In illa enim Archi. Ducalis Domus Austriaca non ut Judex, sed ut Pars consideratur, ita ut hæc Causa Gerolsecciana non nominetur, Baden Durlach contra Cronenburg / sed Baden Durlach contra Desterreich. Etiam si autem quàm maxime competentiam Regimé Cit. demonstrare posset, attamen Judex concurrentem Jctionem habens illud jam diu prævenisset, Lis n. pendet ex longo jam tempore coram Imp. Judicio Aulico, causæ ergo continentia nec dividi,  
nec



nec lite pendente in prævenientis Judicis præjudicium inno-  
vari quid potuit. Refutat *tertium* Remonstratio Principum  
Convocantium Circuli Suevici, in qua S. C. M. repræsentatur,  
Directoribus Circuli in districtibus sibi commissis jus  
exequendi, non vero aliis unquam competiisse. Si ergo  
S.<sup>m</sup> Marchio nec auditus, nec citatus, nec à Judi-  
ce competente condemnatus & coactus est ad re-  
linquendam possessionem, sua sponte & prono flu-  
it alveo, ei remedia recuperandæ possessionis ipso  
jure competere. Sicut & statim tunc tempo-  
ris Restitutionem in integrum à Cæsarea Majestate de-  
votissimè petiit, quam hodiè etiam Serenissima Domus  
certò sperat, justissimis precibus suis divinas aures præ-  
bitum iri certo expectans.

Transcamus ad *petitorium*, quod ho-  
die ex parte Sereniss. Domus instituere necessa-  
rium non est, per ea, quæ præcedentibus ad-  
monuimus paginis. Supra annotavimus, Prin-  
cipissam Badensem, cum viveret, contra Juris Ordinem  
ad petitorium fuisse remissam, eamque tandem, ut  
hoc Judicium susciperet, in Tractatibus Pac. Westph.  
persuasam esse. Prætendebat scil. supra enunciatas ter-  
ras esse allodiales atque ut id demonstraret, assevera-  
bat easdem Dynastiæ Gerolseccensis, prouti in Pacto  
Oblationis Regi Ferdinando in feudum offerebatur, par-  
tes non fuisse; Aiebat enim eo tempore, quo Pactum  
oblationis & Recognitionis subscribebatur, easdem  
in Dominio Badensium hæsisse, adeoque objectum Pa-  
cti constituere haud potuisse. Arcem denique Neuen-  
dautensteinensem demum Ao. 1580. (†) patrimonio Gerol-  
rol-

---

(†) In Deduct. Comitissæ Solm, propria ejus manu subscripta legitur 1584.



rolsecciorum rursus accessisse. Quamvis enim oblatio Dynastiæ in feudum fuerit generalis atque olim terræ istæ forsan ad Dynastiam pertinuerint, attamen omnia sua bona in feudum offerens, non offert ea, quæ postea acquisivit, vel ex bonis venditis recuperavit; Etiam si sint pertinentes. Unde Rosenthal *Cap. V. Conclus. 9. §. 8. pag. 121. Oldradum* & alios magni nominis Jctos secutus, in casu, quo quis terram in feudum offert, & terras alias deinde post recognitionem demùm acquireret, vel etiam ante alienasset, NB. *etiamsi essent pertinentes*, in feudum pariter oblatas esse non censerit. Nam Oblatio & Recognitio allodii in feudum strictissimam interpretationem sequitur, cum sit species donationis & renunciationis certissima, cujus objectum nunquam est aut Jus ignoratum aut non cogitatum. Imò etiam si cogitationis hujusmodi suspicio aut umbra adesset, in hoc dubio aut cogitationum crepusculo res ad id, quod minimum est redigenda. *l. 9. ff. de R. J.* Ergo in hoc casu præsumptio non militat contra Gerolseccenses, quod absolutè & sine certis Pactis allodiale Baronatum suum, feudalem fecerunt, sed potius præsumendum est, cum nemo suum jactare conijciatur, offerentes servitutem, quam fieri potest, minimam imposuisse, atq; eos nihil aliud in feudum obtulisse, quam quod in Instrum. Oblationis expresserunt, aut quod tempore perfectæ oblationis possederunt, quo certè terras quæstionis nondum retrò acquisierant. Acquisierunt autem has terras quinto post factam oblationem anno, quomodo ergo ante hoc quinquennium Dynastiæ in feudum oblatae partes conficere potuerint non video. Non inficias eo, Dynastas potuisse in  
omnem



omnem eventum etiam terras in posterum recuperandas eodem vinculo innectere, sed in hac materia, uti a Velle ad Posse, ita à Posse ad Velle ridiculé & incongrué concluditur.

Accedit huic II. ipsa determinatio Pacti oblatorii, quæ nimis laxam verborum generalitatem restrinxit. Dicitur enim in Pacto ea bona in feudum offerri, quæ olim Philippus Palatinus in Diffidatione eripuit, Maximilianus Imperator eidem Philippo abstulit, Christophorus Badensis in Sequestrum accepit, & denique Gerolseccis hoc nomine restituit. Jam autem Terræ controversæ, nec à Philippo unquam possessæ, nec a Maximiliano per Sequestrum suum pristinis Dominis redditæ, nec à Gerolseccis tempore oblationis detentæ, sed jam ante diffidationem Marchioni Badensi venditæ & longo tempore post oblationis Pactum à Gerolseccis vigore Pacti deretrovendendo rursus acquisitæ sunt, proinde terras has in feudum pure offerre nec potuerunt, nec voluerunt. Non potuerunt, quia de re tertii ejusmodi dispositio absurda & irrita. Non voluerunt, quia partim nemo præsumitur velle alienæ rei Servitutem imponere, partim nemo in renunciationibus id velle præsumitur, quod non expressit, vel quod non cogitavit.

Sed & 3. Ratio, quare Oblatio facta est, in Terris his controversis plane non quadrat. Causa, cur hæc bona obtulerint, fuit summa, qua Gerolseccii erga Potentissimam Domum Austriacam ferebantur, Grati-  
tudo, ob bona e Philippi Palatini manibus restituta.



Sed terræ, quas Badensis Domus tunc tenebat, nec erant ab Imperatore restitutæ, nec restituendæ, sed pro arbitrio retrahendæ. Itaque gratus animus ea respexisse non colligitur, quorum nomine nullum beneficium est acceptum. Neque justa esset Interpretatio, quæ eum extenderet ad tempus retrovenditionis. Negari quidem non potest, Gerolseccios eo usque grato animo suo procedere potuisse, sed quia id non apparet, verba generalia ex appositis prædicatis & circumstantiis actum oblationis concomitantibus, restringi debent. Cæterum non dubito quin S. CÆS. MAJESTAS verba oblationis generalia interpretatura *Justitiam generosa æquitati* permixtura sit. *Ille* enim neminem lædit & *hec* gratæ menti plura, quam dare vult, non aufert; *Æquitas* certe ita generosa est, ut verba devoti animi non captet, sed data & oblata reluctante quasi manu accipiat, neminique gratitudinem damnosam esse patiatur. Semper enim in dubiis benigniora præferenda sunt *l. 56. de R. J. & occasio rapienda est, quæ præbet benignius responsum l. 168. ff. d. t.* Ipsa (4.) stricta Oblationis Interpretatio simul nos admonet, generalem Literarum Investituræ aut Pacti oblationis sensum explicari debere secundum ea, quæ in specie sunt expressa; ita enim nos interpretari jubet Jus Civile, quod Generi nunquam latissimam significationem permittit, si species adjectæ sunt, quibus Genus definitur. In toto enim Jure Generi per speciem subjectam derogatur, illudque potissimum habetur, quod ad speciem directum est. *l. 50. ff. de R. J. l. 99. in f. ff. de leg. 3. l. 41. ff. de pœnis.* Et expressa nocent, non expressa, non nocent. *l. 195. ff. de R. J.*

Quamvis



Quamvis itaque Dynastia Gerolseccensis in feudum oblata sit, nihil tamen aliud ex mente offerentium ad oblatum pertinebit, quam id, quod in Pacto oblat. & Literis Investituræ expressum est. Pertinebit ergo ad Dynastiam dictam, Arx & Domus Gerolseck, Præfecturæ Schimberg & Prinzbach, & ea quæ Palatino erepta, à Maximiliano recuperata, Sequestro tradita, ab hoc, ut tali, Gerolseccis reddita sunt.

Quo supposito nec Seelbach, nec Schimberg, nec Kubach, nec Schutterthal, nec dimidia pars Pagi Reichenbach, nec Neuen Dautenstein, nec aliæ terræ postea acquisitæ Dynastiæ Gerolseccensis, ut oblatae, partes facient, sed allodiali offerentium patrimonio merito reservabuntur. Hæc nostra explicatio Juri & Documentis à Principissa hunc in finem productis consentanea corroboratur per Documentum einer *Berainung* in Archiuo repertum, cujus Copia sub N°. II. in *Deduct.* apparet & ita inscribitur. *Verzeichniß beeder Vogteyen Schimberg/ und Prinzbach zu dem Schloß Hohengerolseck gehörig/ wie die mit ihren Bäumen/ Bezircken/ Thälern/ Wäldern/ Fischbächen/ auch hoher und nieder Obrigkeit mit ihren Anstößen gelegen/ so von dem löbl. Hausz Oesterreich zu Lehen rühret.* In hac scriptura dum feuda ab Austriaca Domo dependentia speciatim recensentur, de terris his controversis altum est silentium: manifestissimo indicio, eas tunc sine controversia pro allodialibus habitas fuisse.



Accedit aliud Documentum quod, *Descriptionem Dynastie Gerolseccensis*, exhibet, & quæ designat, quid post oblationis tempora feudum, quid allodium fuerit. Titulus Germanicé ita habet. Ein Auszug und Verzeichniß der Herrschafft Gerolzeck / was Lehen oder eigen / auch was das Eigenthumb Jährlich erträgt &c. Factum est hoc Inventarium in pupillari ætate Ultimi Vasalli Jacobi curante Tutore ejus Carolo Comite Hohenzollerense tunc temporis Præfecto Austriaco Superioris Alsatia, cui eò major est habenda fides, quo certius eum tanquam Austriacum officialem Juribus Domini sui præjudicare voluisse non præsumi. In hac descriptione primo ponitur,

Das Haus und Schloß Gerolzeck / sambt denen beyden Bogteyen Prinzbach und Schirmberg und allen deren Inwohnern &c. sambt aller Gerechtigkeit (aufferhalb der Zöll und Umbgeldt / auch des Wildbanns / so vom Heil. Reich zu Lehen rühret) ist solches alles von dem Haus Oesterreich Mannlehen.

Sequitur deinde

- I. Schutterthal die ganze Bogtey ist eigen.
- II. Seelbach, die ganze Bogtey samt Steinbach und Rubach ist eigen.
- III. Reichenbach die Bogtey zum halben Theil &c. ist eigen.
- IV. Die Bogtey Berghaubten zum halben Theil (dann NB. die andre Helffte Straßb. Lehen) ist eigen &c.

Quibus



Quibus omnibus subjungitur adhuc major series allodialium, quæ enarrare nimis longum foret.

Neque objici poterit his Documentis, utpote privatis, nullam tribuendam esse auctoritatem, præsertim, cum ultimum sit a partis litigantis Antecessore confectum, consequenter nemo in propria causa testari possit. Nam *primò*, nulla hic subest suspicio fraudis, aut, ut vulgò loquuntur, *partialitatis*, cum eo tempore nulla de qualitate horum bonorum lis fuerit, *secundo* in rebus dubiis, & in facto controverso pro *antiquis* Documentis semper venerabilis est præsumptio, eò magis, quando *vel in Archivis* reperiuntur, (Si enim Instrumenta vel eorum exempla ex Archivis publicis proferantur testimonium publicum habent, & plene probant, *Auth. ad hac Cod. de fid. Instrum. l. f. C. de Re judicata. Addatur Carpz. p. 1. c. 17. d. 4. & lib. 3. Resp. 84.*) vel alia juris corroborantur præsumptione. Agitur enim hic de probanda allodialitate bonorum. Hæc naturaliter omnibus bonis inesse præsumitur, quantò magis ergo præsumetur, si antiquum documentum omni suspicione vacuum id ipsum asserat, de cujus probatione agitur.

Videtur itaque mihi Serenissimam Domum Durlacensem ex asse officio suo satis fecisse, atque Documentis authenticis probatam dedisse qualitatem bonorum controversorum allodiam. Probavit enim bona hæc tempore oblationis non fuisse in bonis offerentium. Probavit ea nec potuisse intelligi nec intellecta esse sub generali voce Gerolseccensis Dynastiæ. Produxit propterea Instrum. Venditionis, quod Anno 1482. terras modo dictas tanquam allodiales asserit; produxit porro Instrumentum retro Venditionis, quod



1539. quinto post oblationem factam anno terras easdem retroemtas refert. Produxit Pactum Oblat. & Primam Investituram, in quibus dictæ terræ nunquam expressæ sunt, cum tamen aliarum mentio facta fuerit. Produxit Documentum *Der Verainung* in quo omnium feudorum Austriacorum designatio fit, nulla mentione de terris nostris injectâ. Produxit denique Inventarium, in quo expressè bona quæstionis inter allodialia referuntur. Quorum omnium Documentorum autoritas & fides in dubium vocari non potest. Quæ autem hic argumenta petitorio inseruientia proposita sunt, necessaria hodie esse haud crediderim, cum ex Can. Redintegrandi Spoliatus ante omnia sit restituendus, atque mediante possessionis restitutione in eum reducatur Status, ut Onus probandi in petitorum necessariò sit devoluendum. Qua quidem ratione, quomodo Illustrissim⁹ C. de Layen necessitatem probationis in petitorio suscipiendæ effugere possit, non video.

Repeto, quod Articulus Instrum. pacis morte Cronbergii, tanquam res inter alios acta vim suam amiserit, id quod efficiet, rem cum omnibus pro Serenissima Domo Durlacensi militantibus juris rationibus esse restauratam. Tunc enim Dominium rerum allodialium præsumetur continuatum in heredem, non in Expectativarium aut Donatarium. Sive enim Expectativarius, qui Donatario simillimus est agat sive ab eo petatur, feudalem qualitatem rei donatæ probare tenetur per textum expressum, *legis 16. Cod. de Probat:* quam Diocletianus & Maximianus AA. & CC. Philippo & Sebastiano cuidam rescripserunt. *SIVE POSSIDETIS BONA*, inquit, *quæ à Patre communi sibi Fratres donata contendentes vindicant, IPSIS INCUMBIT FACTI PROBATIONIS NECESSITAS: sive ipsis ea prædia &c. tenentibus Vos coheredes constituti Patris petitis, ut intentionem vestram non constituisse detegant, unde Domini facti sunt, emergente quæstione, docere compelluntur.*



## CAPVT III.

### *Proponens fundamenta partis adversæ.*

**J**Vra tam in possessorio, quam petitorio pro Serenissima Domo Durlacensi explanavimus. Ex proposita autem facti specie, duplici ex latere ea oppugnata esse atque adhuc hodie oppugnari intelleximus. Nam cum Terræ hæ controversæ feudali per Pact. Oblat. vinculo innexæ fuisse dicantur, eoq; titulo etiam possideantur necessario causa in duas dividitur Controversias, quarum altera Dominum directum, altera vero præensum Vasallum seu Dominum utilem, tangere debet.

Dominium directum tribuit sibi Augustissima Domus Austriaca, vel potius ejus Regimen vigore Pacti Oblationis omnes Dynastiæ Hohen-Gerolsecciensis terras, feudales factas esse asserens. Dicitur enim in Pacto Oblationis, Gerolseccios Arcem & Dynastiam Hohen-Gerolseck in feudum offerre ad eum modum, wie ihre Vordern / nachmahls die Pfaltz und Marggraffen zu Baden und Sie die bissher innen gehabt und genossen / so viel dann zu den berührten Herrschafften Hohen-Gerolseck in Eigenthumbs weiß gehöret und vormahls von dem H. Reich oder  
andern



andern Fürsten nicht empfangen worden &c. Si itaque omnes terræ allodiales, quæ olim ad Dynastiam Gerolseccensem pertinuerunt & à Majoribus possessæ & ab Imperio independentes in feudum recognitæ sunt, certè etiam hæ terræ talem assumerunt naturam, utpote quæ ab Imperio non recognitæ & a Dynastarum Majoribus hunc in modum possessæ sunt.

Nec causa est, cur reperatur, terras, quæ, in lite versantur tempore Oblationis Offerentium defuisse patrimonio. Esto enim hoc indubium, uti negari id nequit, nemo tamen erit, qui dubitet 1. Dynastiam cum omnibus *juribus* &c. esse oblatam. Inter jura autem ista referri etiam potuisse jus reluendi terras in Badensem translatas, itaque jus directum hujus reluitionis etiam esse oblatum. Atqui reluitione facta jus domini directi, juri directo reluendi, acreuisse; nec erit 2. qui dubitet jura domini directi in Arcem Neuen Dautensteinensem eò ipso oblata esse, siquidem tempore Oblat. Jus Domini directi in arcem dictam ad Gerolseccios pertinuit per ea, quæ supra in Notis adscripta sunt. Nec 3. erit, qui dubitet, quis status terrarum eo tempore fuerit, cum primæ Augustissimi Investientis literæ concederentur. Tunc enim terras quæstionis jam redemptas & in potestatem Gerolsecciorum iterum redactas fuisse, acta loquuntur. Sint ergo quinto post Oblationis Pactum anno demum redemptæ, quinto etiam ante primam Investituram anno ab Offerentibus possessæ sunt, siquidem illa Anno 1544. contigit. Quotiescunque autem circa feuda dubium emergit, Tenor primarum literarum, ut Interpretationis fundamentum inspici à Lege jubetur. At vero hoc ipso Instrumento clare enunciatur



enunciatur Arcem & Dynastiam Hohen-Gerolsecc cum duabus Præf. Brunspach und Schimberg concessam esse cum illis Juribus wie die gedachte Pfaltz = Graff Philips und Marggraff Christoph und Sie die von Gerolsecc bisher inn gehabt haben: Atqui Sie die von Gerolsecc etiam eas terras olim tanquam Dynastæ possederunt, & hactenus etiam i. e. bisher sc. ab Anno 1539. usque ad 1544. tenuerunt.

Nec 2. Filiam Jacobi potuisse prætere, ut in possessione manuteneretur, siquidem ipse Dominus directus jamdiu in possessione civili domini directi constitutus eandem jam prævenerit. Nam Dominum respectu Domini directi vel potius directum suum jus civiliter possidere inter omnes convenitur *Rosenthal. Cap. 8. Concl. I. §. 5. & Autores ibi lit. e. citati.* Possessio autem civilis facillimè ad se trahit possessionem naturalem, cum statim ab obitu Vasalli talium possessionum consolidatio facta videatur. Cui accedit Consuetudo Austriaca, quæ in Casu apertura omnia Vasalli ultimi bona Domino directo in possessorio concedit. Itaque 3. recte possessionem aperti feudi occupatam, atque deinde Comiti Cronenburgio, tanquam Expectativario esse traditam. Nam autoritate propria Dominus directus feudum capere potest. *Andr. de Ifern. in Cap. I. §. fin. quo tempore miles &c. n. 8. Bald. in Cap. quæ in Ecclesiarum n. 31. de Constitut & alij à Rosenth. Cap. X. Concl. 41. n. 43. alleg. DD.* Idque à quibusdam ampliatur, ut nec sententia declaratoria opus esse existimetur, partim quia Dominus,

F

qui



qui civiliter possidet, si detentor resisteret, in possessione sua vera civili turbaretur *per nos. Bartol. in l. 1. §. Interdictum ff. Vti possid. Bald. & Salicetus in l. 1. C. unde Vi & DD. in l. Clam possidere §. ad nundinas ff. de acquir. poss.* partim etiam, quia feudo hoc modo finito Dominus non modo civiliter sed & naturaliter possidet. Nam possessio Vasalli naturalis civili incubat, ac ideò cum Jus Vasalli expirat, possessio ejus statim ipsi Civili possessioni accrescit. *Bartol. in Reper. l. Si arrogator 22. n. 12. quem sequit. Molin. in Consuet. Paris. tit. 1. §. 30. n. 24.*

Jure ergo Causam Principissæ Badensis à Possessorio ad Petitorium remissam atque onus probandi, quod allodialis qualitas terris litigiosis inhæreat, eidem injunctum esse. Per Instrum. Pacis ergo (4.) tam Dominum directum, quam Expectativarium in possessione tam quoad directum, quam utile Jus constitutum esse, præsumique jam terras istas esse feudales, donec authenticis documentis contrarium fuerit demonstratum. Esse autem (5.) Huic Probationi autoritate publicà Biennium præfinitum. Huic Biennio autem ex parte Principissæ satisfactum non esse, siquidem nihil in Causa adhuc decisum, etsi jam triginta sex biennia sint præterlapsa. Exceptionem ergo Præclusionis ob biennii lapsum meritò opponi posse, quæ quidem id efficiet, ut Instantia perempta esse dici queat.

Sextò ergo Serenissimum Marchionem Dnm. Fridericum Magnum foro ita exclusum nullo sub prætextu possessionem privata autoritate arripere atque eadem sequentem Expectatiuarium arcere potuisse, eò minus, cum eo ipso *Spolii* vitium possessioni huc arreperit. Ex actis

enim



enim notum esse, Reverendissimum Electorem Trevirensensem ex Illustri sanguine Dnn. Bar. de Layen cretum pro se & Agnatis non solum spem sed Jus, non solum Jus, sed ipsam quoque possessionem Cronenburgio adhuc vivente nactum esse. Præter enim Expectativam, *Investituram* quoque *abusivam* obtinuit, uti id patet ex Protocollis Jud. Aulici sub datis 27. 28. Jul. & 22. Aug. *Conf. Fasc. der Beyl. Deduct. pag. 36.* Quis vero ignorat *Investituram* esse solennis feudi traditionem, traditionem a. esse possessionis translationem. Imò ipsa *Investitura* nil aliud est quam ipsa possessio. Ergo in vivis adhuc existente primo Expectativario, secundus jam Vi *investituræ* Possessor erat, qui propterea à Serenissimo Marchione possessione sua sine spolii vitio exui non poterat. Frustra igitur dictum Serenissimum Marchionem queri de Spolio in se commisso, cum ea, quæ Regimen Austriacum ceterius in favorem secundi Expectativarii egit, non sint facta, nisi ad defendendam possessionem juris feudalis, in qua & per Instrum. P. Westphalicæ & per *Investituram* *abusivam* tam Dominus directus, quam secundus Expectativarius constitutus fuerat.

## CAPVT IV.

*Respondebit ad fundamenta  
partis adversæ.*

**Q** Via autem hæc, quæ modo exhibuimus, adversæ partis fundamenta specie veri saltem fallunt, facile erit ipsa veritatis luce eandem discutere. Quod enim (1) dicitur in Pacto Oblat.



omnes Terras quas Majores Gerolsecciorum possederunt & ab Imperio ut feuda non recognoverunt, in feudum oblatas Austriacum, proinde etiam terras, quæ nunc in lite versantur, ut olim à Majoribus Gerolsecciorum possessas & nunquam ab Imperio recognitas, necessario subintellectas esse, justæ consequentiæ regulis contrarium est. Supra enim dictum jam est, non potuisse offerentes plus offerre, quam habuerunt, & si id voluissent, id probandum esse, quod non præsumitur. Licet enim terræ, circa quas disceptatur, à Majoribus Gerolseccis possessæ, licet eo tempore ab Imperio non fuerint recognitæ, non tamen illis competunt prædicata, quæ in Pacto Oblationis qualitatem bonorum oblatorum significanter determinant. Non fuerunt tempore dissidationis in bonis Gerolsecciorum, non fuerunt receptæ à Maximiliano Imperatore, non fuerunt Christophori Badensis custodiæ committæ, non fuerunt deniq; Gerolseccis restitutæ. Atqui & mens & tenor Oblatorii Pacti non nisi de similibus bonis & cogitat & loquitur. Arcem & Dynastiam Hohen-Gerolseck offerunt Anno 1534. ergo eam offerunt totam & cum suis partibus, quales tunc habebat, & quibus qualitates in Pacto expressæ applicari poterant. Quî ergo offerre potuerunt partes tunc temporis avulsas? Nec enim potest videri desiisse habere, qui non habuit *l. 208. ff. de R. I.* Quod vero regeritur Jus tamen redimendi terras avulsas & nunc controversas co-hæsisse patrimonio Gerolsecciorum, nulla ratione stringit; Nam i. hoc Jus redimendi spem tantum continet, quæ bona futura & acquirenda respicit. In Pacto autem Oblationis præsentia tantum & certa quædam bona sunt oblata, non futura. Offerri quidem possunt bona futura ob arbitrium rerum, quod vi dominii cuilibet competit, cujus etiam rei exempla affert. Celeberr. HER-TIVS Diss. de Feud. Obl. P. 2. §. 25. Sed in dubio id probari



bari debet. 2. Etiam si spes in bonis esse dicatur *l. 73. §. I. ff. ad L. Falc.* non tamen hæc spes fecit partem bonorum, ut oblata sunt. Potuerat enim Domus Gerolseccia facultatem repetendi res atque Dominium rerum in Domum Badensem translatarum nunquam exercere. Etiam si porro hæc spes redimendi jus tale esset, quod terras retrovendendas immediate affecisset, de quo tamen maxime dubitat SCHILTERVS *Prax. Art. Analyt. Part. III. de Jura Retro. 5. & 6.* attamen, quia hujus rei in Pacto nulla mentio facta, quia futura bona spectat, quia prædicata bonorum oblatores obstant, quia præsumptio, quod de illa re cogitatum fuerit, cessat, Jus Serenissimæ Domus in salvo manebit.

Quod porro nominatim de Arce Neuen-Dautensteinensi objicitur, sc. Dominium directum ad Gerolseccios tempore oblationis pertinuisse, adeoque simul in feudum oblatum fuisse, speciosum quidem est, sed mox refutandum. Repetendum enim hic est, Oblationem, tanquam Donationem & Renunciationem strictissimo Jure regi, speciatim ergo debebat in Pacto Oblat. ad instar Præfectorum *Schimberg & Printzbach* exprimi; Præsertim si verum est, Dominium directum sine consensu Vasalli proprietatem suam alienare non posse; quæ sententia à Magno Numero DD. defenditur & juris feudalis ratione non destituitur. Si enim Dominus ex omni culpa proprietate privatur, propter quam Vasallus feudo *Cap. 1. qualiter Dominus propr. priv.* Si Dominus & Vasallus ad paria judicatur *Cap. 1. in f. de form. fid.* Si permutare Dominium suum directum non potest sine militis sui consensu *1. Feud. 22. §. Si quis.* certè videtur nec Dominum Jus suum directum alteri in feudum offerre posse sine consensu Vasalli sui; Itaque in hac re dubia benigniorem interpretationem sequemur, atque hujus Arcis Dominium directum in feudum oblatum fuisse non



censebimus. Cujus generis interpretatio non minus justior, quam tutior esse dicitur in l. 192. §. 1. ff. de R. I.

Sed *Pactio Oblationis* opponitur *Prima Investitura*, quæ eo tempore peracta, quo bona controversa quasi postliminiò ad Domum Gerolseccensem reversa fuerant. Putari ergo posset, ea tunc Oblationis objectum constituisse. Verum paucissimis respondetur, ipsas primæ Investituræ literas sese referre ad Pactum Oblationis, tanquam ad basin & fundamentum totius negotii, itaque tenorem Investit. necessariò bona tunc temporis oblata & in patrimonio existentia, non alia, respexisse. Dicit enim Rex Ferdinandus bona jam oblata esse Ao. 1534. sc. *Inhalt des Vertrags des Datum steht zu Wien am abziehenden Tag des Monats Decemb. des, verschienenen 1534sten Jahrs &c. zu eigen gemacht und aufgesandt.* Hac oblatione autem perfecta *Constitutum possessorium* nascebatur & convertim brevi manu possessio bonorum oblatorum transferrebat; *Quisquis enim rem aliquam donando, (ita & offerendo in feudum) usumfr. ejus retinuerit: Etiam si stipulatus non fuerit, eam continuò tradidisse credatur, nec quid amplius requiratur, quò magis videatur facta traditio l. 28. C. de Donat. conf. l. 77. de R. V. l. 18. ff. de acquir. poss.* Si itaque Gerolseccenses quinto ante retrovenditionem anno possessionem oblatorum jam tradiderunt, non plus potuerunt dare, quam habuerunt. Ergo nec Potentiss. Domus Austriaca post decem annos cum prima investitura fieret, plura feuda constituit, quam allodia accepit. Non dederunt Gerolseccii tempore Oblationis terras controversas, Itaque easdem nec Austria accepit, nec sub figura feudali Gerolseccii restituit. Inculcanda deniq; rursus est stricta Oblationis natura, quæ jus potius conseruat & confirmat in rebus non expressis, quàm diminuit, quam ob causam forsan Feudum Oblatum etiam *feudum Bonum* dicitur, quod tamen nomen vix ultra foederati



derati Belgii forum extendendum dicit *Honorat. Socer meus DN. D. J. H. FELTZIVS in Diss. de Feud. Obl. §. 4 pag. 6.*

Verum textus noster feudalis supra productus 2. *feud. 26.* filia possessionem Civili Domini directi possessioni praefert. Nam nequidem nuda illa praesumpta resistantia, qua Dominus munitur, *ubi constat rem esse feudalem*, videtur contra favorem heredis in possessorio aliquid efficere. *Rosenthal Cap. 7. Concl. 48.* In nostro certe Casu ubi per seculum ferè notorium est, Domini jus directum non fuisse notorium, nullam plane possessionem civilem Regimen praetendere potuit, quia animo & corpore possessionem juris directi olim in terris his controversis acquisitam fuisse non probavit. Possessio enim facti est, unde qui dicit se possessionem acquisivisse civilem, id probare tenetur. Itaque nulla Possessio civilis August. Domus Austriacæ hic ad se trahere potuit naturalem possess. Comitissæ, cum ipsa Comitissa bona illa allodialia & *civiliter & naturaliter* possederit. Is enim *HOC MODO* possidere dicitur, qui rem aut Jus aliquod sibi corpore & animo, praesertim ex titulo praevio vere vel quasi possidet. *l. 3. & 8. ff. de acquir. poss.* Quod ipsum, si benè pensiculemus, nobis simul ostendit, eum, qui Jus Directum praetendit, propria autoritate possessionem non vacantem amplecti non posse, cum ne quidem id Domino directo, qui notoriè talis est, hac pateat licentia, *per textus & autt. supra alleg.*

Ergo IV. Invita Jurisprudencia feudali Possessione sua cedere & remediis possess. renunciare & coacta & inducta est Comitissa. Sane, quod summis singulari justitiæ ipsius Potentiss. Domus Austriacæ debitis est extolendum laudibus, Invito etiam tum temporis Augustissimo Imperatore Ferd. II. utrumque contigit. Hujus enim sacratissima fuit intentio in Rescripto ad Archiducem Leopoldum Claudiaë Florentinaë Maritum misso sub dato Wien den 1. Febr. 1627. puncto petitæ Commissionis



sionis & Decreti Immissorialis in casu aperturæ feudorum Gerolseccensium, ut, si dies jamjam expirantis familiæ Gerolseccensis supremus illuxisset, Cronbergio, tanquam legitimo Expectativario Immissio in possessionem non denegetur, ita tamen, ut prævia Separatio allodiorum à feudis instituatur, allodia heredibus legitimis reserventur, & postea Investitura Cronbergii peragatur. Verba hujus sunt tenoris: Als gesinnen wir solchem nach an E. I. hiemit gnädig. freund. und Brüderlich / Sie wollen hierauf in alle Wege bedacht seyn / und so bald durch oft angedeuteten Todfall die Lehen sich eröffnen werden / dieselben apprehendiren / NB. gleichwohl aber vorhero was allodial von denselben separiren / und denen eigenthumbs Erben zue guetem vorbehalten und alsdann nach empfangener Investitur deme von Cronberg die würckliche Possess / samt den vollkommenlichen Nutzungen derselben unwaigerlichen einräumen un̄ erfolgen lassen &c. \*

Vt itaque exinde fat eluceat, Comitissam Solmensensem nunquam in l. P. articuli paragraphum 27. consensuram fuisse, si Patre Patriæ & Majestate Imperii dignum hoc Rescriptum eidem innotuisset.

Quod V. Exceptio præclusionis propter Biennium in J. P. non observatum objicitur vix meretur responsionem. Biennium enim (1.) in favorem Comitissæ adjectum esse tenor paragraphi declarat. (2.) Comitissa & ejus heredes semper, ut in Facto est allegatum, jura sua demonstrarunt & prosecuti sunt, sed Biennium per partis adversæ, non dicam, tergiversationes, sed longiorem justò plus moram eludebatur. Pro facto ergo accipi debet id, in quo per alium, quo minus fiat, moræ est. l. 39. ff. de R. I. (3.) Biennium partibus præfinitum non erat, verum Judici vel amicabili Compositori (4.) hujus Exceptionis pondus tam leve habebatur, ut non solum ipse Imperator

Leopol-

\* Hoc Rescriptum in Deductione non apparet, mihi tamen est ab amica manu communicatum.



Leopoldus hanc præclusionis exceptionem non obscure ut frivolam in Rescripto suo ad Reg. Austr. lit. *quod in Deduct. p. 32. in fasc. dei Beyl. habetur sub dato Wien den 3. Febr. 1668. tractaverit, sed & perpetuo ab ipso Imp. Jud. Aul. jam ab Ao. 1669. Citatio ad videndum separari allodium à feudo Expectativariis insinuata fuerit.*

Illud autem (6.) animo concipere non possum, quomodo Serenissimo Marchioni Frid. M. *spolium* potuerit objectari, cum vacantem post Cronb. obitum possess. intrasset. *Non enim expulso vetere possessore per vim poss. acquisivit & obtinuit, quod tamen in lege 1. §. 28. ff. de Vi & Vi armata, ad Interd. unde Vi* requiritur; Ast expulit veterem possessorem. Reverend. Elector enim Trevirensis præter Expectativam pro se & Agnatis suis DNN. BB. de Layen etiam simul investituram abusivam obtinuit, quod nil aliud est, quam possessionem impetrare.

Verum nego & pernego Investituram hanc abusivam Jus in re tribuere, nedum possessionem. Est enim hæc *Investitura abusiva* similis ei, quæ alias dicitur *die Belehrung zu seinem Rechten* & quæ tantum modo confertur ad hoc, ut quis Parium seu Vasallorum numero habeatur & coram Domino Jus suum prosequi possit, quod sæpius fit simplicibus verbis, nulla re corporea interveniente. Nam ne quidem simultanea investitura secundum plurimorum DD. sententiam Jus in re tribuit, sed solummodo actionem personalem aut Jus ad rem. Multo minus ergo, quod certum est, possessionem; Et ita judicatum est in Cam. Imp. in *Causa Calenberg contra Calenberg* Ao. 1572. quem Casum refert sæpe laud. *Rosenthal VII. 48. 4.* qui cum nostro maxime fororiat. Sorores enim Vasalli sine liberis defuncti occupaverunt feudum. Agnati convenerunt Sorores, ut spoliantes, eò quod tanquam si-  
multa-



multanee investiti simul cum agnato defuncto feudum possederint. Sed cedere coacti sunt; quoniam possessionem priorem non probaverunt. *Senserunt enim Domini apertè per solam investituram simultaneam non probari possessionem.* Multò minus ergo sentiet Augustissimum Imp. Judicium Aulicum *per Investituram abusivam possessionem probari posse*, si DNN. de Layen priorem possessionem non probaverint. Contra Jus ergo Serenissima Domus Durlacensis possessione, terrarum controversarum quas sine vi adeptæ est, armata manu se ejectam putat, quam ob rem saluberrimum Restitutionis in integr. Remedium ex Can. Redintegranda coram Supremo isto Tribunali jam tunc temporis efflagitavit & adhuc hodie efflagitat, speratque ad ductum *l. 1. §. 31. ff. De Vi & Vi armata* quicquid damni senserit, ob hoc quod dejecta est, recuperatum, molestiamque instituendi petitorii æquissima hæc possessionis redintegratione declinatum iri.

F I N I S.





## ERRATA

*quæ ob adversam valetudinem Dn. Prasidis  
& incuriam Typographi irrepsērunt.*

• 3. Procem. lin. 4. pro *possim* lege *passim*. Pag. 3. in  
a Diff. lin. ult. in notis pro *Georgy* lege *Georgii*. Pag.  
lin. 17. pro 1584. lege 1580. Pag. 8. lin. 2. deleatur vox  
*MITISSAM*. Pag. 15. lin. 23. pro *petitæ* lege *petita* Pag.  
lin. 9. dele *NEC SCHIMBERG*. pag. 32. lin. 4. pro *indepe-*  
*tes*, lege *independentes*. Eadem pag. lin. 16. pro *acrevisse* le-  
*acrevisse*. lin. 26. pro *eriam* lege *etiam*. Pag. 39. lin. 3.  
inchoa : *SECUNDA & TERTIA* *Difficultas*  
*titis adversæ Possessorium Domini directi concernit*; Pag. 40.  
st lineam 21. supple: *Quâ porro fronte dici potuerit, ex*  
*striaca Consuetudine in Casu apertura omnia ultimi Vasalli bona*  
*n allodialia quam feudalìa Domino Directo in possessorio adju-*  
*ari, ex hoc ipso Rescripto manifestatur.*

Cæteris sphalmatibus B. Lectoris æquitas  
lubenter connivebit.



